

qua à loco non pendet: atque ita cognoscit se judicari, & vel salvari vel damnari, non tantum Dei, sed Christi hominis quoque imperio & efficaciâ, judicantis, quo quisque premio poenâve sit dignus, juxta legem aeternam Dei & mensuram ab eo constitutam, & id ipsum pro suâ voluntate ac potestate pronunciantis & imperantis cum effectu. Atque ita traditur doctrina ista ab Abulensi, eamque bene declarat & probat Franc. Suarez & Soto. In marg. adducit Abul. in Matth. 24. q. 239. Suarez & Soto T. 2. in 3. p. d. 52. s. 2. Fovea ergò Purgatorii lacus ille in quo non est aqua, esse nequit. Omitto alia argumenta ex collatione purgatorii cum vaticinio Zachariano recensere

DISSERTATIO QUINTA.

CAP. VII. SECT. IV.

QUoniam neq; temporalis aliqua captivitas, neq; limbus, Patres & sanctos V. T. detinens, neq; purgatorius ignis per Lacum, in quo non est aqua, intelligitur: deniq; igitur & Quarto per lacum, in quo non est aqua, intelligitur *status damnationis*, in quem inciderat per peccatum universum genus humanum, ubi amiserat imaginis divinæ saluberrimum copiosissimumq; fontem ab in habitante Sp. S. benignissimè rigatum; contraxerat abominandam totius naturæ quasi ariditatem: pro luce sapientiæ, spississimas errorum immanissimorum tenebras; pro justitiâ & sanctitate voluntatis, turpissimam foedissimamq; iniquationem, impuritatem, pravitatem: pro harmoniâ virium suavissimâ, horrendam variarum libidinum & concupiscentiarum *ἀταξία*: ubi obligabatur homo ad iræ divinæ severissimæ tolerandam vim: ad legis sanctissimæ sustinendam maledictionem: ad conscientiæ ferendos latratus horribiles: ad infernalium tormentorum perpetuitatem. Hoc per lacum intelligi sequentibus fundamentis constat.

§. 104. I. *Quia status damnationis in sensu spirituali & metaphorico, qui hic, etiam fatentibus adversariis, locum habet, verissimè & in summo quasi gradu lacus est.* Quicquid enim lacus potest habere periculi, abominabilis, molesti, horrendi quod hominis felicitati & saluti contrarium esse potest, illud omne in statu damnationis *summo modo* est. Demus, Limbum & Purgatorium esse aliquid lacum & habere illud nomen ob tormenta aut damna, quibus ibi obvolvuntur homines, infinites tamen majora & plura tormenta atq; damna in inferno sunt, quam in limbo aut purgatorio ficta fuerunt. Petr. Berchorius Pictaviensis Gallus, Ordinis D. Benedicti & prior cœnobii S. Eligii Parisiensis, qui claruit temporibus Caroli Imp. & Innocentii V. Papæ A. 1265. in Repertorio tri-

Resp.
M. Bartholomæo
Bauschio
Vlmensi
§. 103.
SECT. IV.
Lacus est
status damnationis,
ira, maledictionis.

Probatur
I Quia hic
status in
summo
gradu lacus est.